

Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; &c. Quo in loco cū oēs res creatas, tū maxime videtur corpora cælestia intellexisse. Hæc etenim sua pulchritudine, magnitudine, & multitudine, suorumq; motu, & influxuum mira varietate, ac stabilitate perpetua, mirum in modum Dei gloriosi bonitatem, sapientiam, ac providentiam commendant, atq; in eius cognitionem, amorem, ac admirationem maxime nos inducunt, quod egregie testatur regius propheta David, cum dicit. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annūciat firmamentum. Item. Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam & Stellas, quæ tu fundasti. Cui sententiæ fauet id, quod scriptū est Sap. Cap. 13. ubi de corporibus Cælestibus ita legitur. Qui horum pulchritudine delectati Deos putauerunt, sciant, quanto his creator eorum speciosior est. A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterat creator horum videri. Ex quo factum est, ut Astronomia, quæ de præstantissimis istis corporibus disputat, a plerisque Theologia naturalis vocetur.

INSERVIT etiam Metaph. hæc disciplina, quia auctoritate Astrologorum Aristot. ex numero orbium in sua Metaphysica collegit numerum intelligentiarum: Pari ratione ex motibus orbium cælestium virtus & substantia intelligentiarum, quæ illos mouent, maxime inuestigari, ac percipi potest.

NON parum quoq; confert hæc scientia ad naturalem philosophiā, quoniam multa supponit philosophus ab Astronomis inuenta, ac demonstrata, vt videre est in 2. lib. de Cælo, & alijs libris Aristotelis. Deinde quia ex motu cælesti inuariabili inuestigauit Aristoteles. 8. phys. primum motorem æternum, omnisq; mutationis expertem.

MEDICINÆ vero adeo conducit Astronomia, vt Gale. Medicorum princeps egrotos moneat, ne se committant manibus medicorum Astrologiam ignorantium; Nam, ait, medicamenta parum, aut nihil profunt temporibus incongruis exhibitā; Immo vero sæpenumero nocere solent; Hæc autem tempora ex planetarum motibus, qui ad Astronomium pertinent, cognosci possunt duntaxat.

QVID porro poete efficerent, si hac præclara disciplina essent prorsus destituti? Nam quid eorum poemata, aut scripta præclari, aut egregij habent, quod astrorum motibus, ortu & occasu signorum, ac stellarum non sit refertum? Adde quod nemo antiquorum poemata intel
liget